


Za
11468



V. g. F.

(cat. A, 198.)

ORATIO FVNEBRIS
IN
EXEQVIIS SOLEMNIBVS
VIRI SVMMI AC IVRISCONSVLTI
ILLVSTRIS
GEBHARDI
CHRISTIANI
BASTINELLERI D
SAC. REG. MAI. POLON. AC PRINC. ELECT
SAXON. A CONSILIIS AVLAE CONSIST
ECCLES. DIRECTORIS CVRIAEC PROVINC
ET SCABINATVS ASSESSORIS DECRET. PROFESS
PRIMARII ATQVE ORD. IVRIDICI ORDINARII
ET SENIORIS
IN AEDE ACADEMICA

A. R. G. CID 10 CC LV

XI. KAL. NOVEMBR

HABITA

AB

IOANNE FRIDERICO HILLERO
PROF. PVBL. ET SCHOL. RECT

VITEMBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS





o. Panitz
Lufj.
Jan No

Q. D. B. V

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE

PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI
COLLEGAE VESTRI MORTE TRISTISSIMI

AUDITORES CAETERI QVI AD HAS EXEQVIAS CONVENI
STIS SVO QVISQUE LOCO GRADUQUE
HONORATISSIMI

TVQVE DOCTORE TVO ORBATA IVVENTVTIS
ACADEMICAE MOESTISSIMA CONCIO



i mens mea respicit ad superioris exitum
mensis, huiusque initium, et, quid in hoc
pleno sanctitatis loco egerimus, quid nunc
fusciendum negotii sit, mecum reproto,
toto commotus animo, quid dicam, aut
quo modo partibus, mihi impositis, satisfacere pro ui-
rili possim, uix intelligo, Auditores. Namque ad hoc

A tem-

tempus, triumphantes gaudio facularem pacis memoria-
riam religiosae concelebrauimus, quae possessionibus
nostris securitatem, quietem literis, sacris libertatem,
confirmarat, nosque sumus mutuis prosecuti congra-
tulationibus, quod summo Dei pacificatoris nostri be-
neficio salui incolumesque, uniuersi ac singuli, diem po-
tuimus agere, quem nostrum nemo uidit unquam, ne-
mo uidebit. Laetissimae festi atque solemnis tempora-
ris celebritati feralis pompa iam succedit, pro uultu,
uoluptatibus erecto, capite demisso, terram intuemur,
uox nostra, gratis personans carminibus, moesto si-
lentio conticescit subito atque obmutescit. Ipsa huius
aedis forma noua me perturbat, in qua, quoconque
oculos conuerto, ornamentorum splendorem, religio-
nis, doctrinae, pacis, commune uinculum exprimen-
tium, requiro, quem sordidus squalor conuerfione nec
opinata obscurauit. Ecquae tandem cauſa uicissitudi-
nis tam subitae, quae spes nostras fefellit, quae cantum
nostrum lessum fecit, que feriis nostris iucundissimis
praeter spem opinionemque finem attulit adeo luctuo-
sum

Iacet acerba prostratus morte, iacet is, qui continu-
is diebus in communis uenerat hilaritatis societatem, ho-
dierno desideratus die, **GEBHARDVS CHRISTIA-
NVS BASTINELLERVS**, Gentis suae praefidium,
Ordinis sui caput, huius Literarum Sedis decus, annis
meritisque uenerandum. Huius insperatus obitus tam
celerem ad contrarias animi commotiones transitum
peperit, nosque a plausu redegit ad plangorem, si, quid
quantumque amiserimus, cogitemus. Iustis igitur la-
menta-



mentationibus calamitatem, quam accepimus, deplorare
uobiscum possem, Auditores, et sensum uulneris, no-
bis inficti, alere oratione atque augere

Sed fidei, quam duce Christo profitemur, praestantia
uel medios inter luctus recreat animos ac reficit, et facie
mortis lactiori ad Iobelaeam reuocat iucunditatem. Tali-
bus certe gratulationibus funus suorum prisci
Seruatoris nostri socii, atque eximium nobis, quod imi-
taremur, exemplum reliquerunt. Sparsit illud in me-
moriā posteritatis sempiternam os Chrysostomi coele-
ste, et compluribus in locis, praecipue tamen in exqui-
sita de dormientibus oratione, pro dignitate commen-
dauit. Namque, ut nonnullos a desperatione gentium
profanarum abiecta atque humili reducat ad spem redi-
tus in uitam, qua amicorum Christi robur animi fulci-
tur, grauiissimas interserens cauſas, nostrorum homi-
num mortes, non dolori materiam dare, demonstrat,
sed magnae delectationi. Itaque eos cantiones maxime
funebres iubet agitare diligentius, in quibus non luge-
ant, nec lamententur, sed Deo gratias agant, pro bene-
ficiis, demortuis hominibus per omnem uitam praefesti-
tis, pro liberatione ex omnibus, quibus mortalis condi-
tio prematur, aerumnis, pro uictoria denique ab hosti-
bus reportata, ac tot tantorumque commodorum dul-
cedine mirifice exultent. Quae uirtutis excelsae uesti-
gia, praecclare impressa, pace Veftra, ego nunc perfec-
quar, Auditores, atque Imaginem felicitatis eruditae,
Iobelaeo beatæ mortis die consummatam, in Bastinelle-
ro noſtrate, uobiscum contuebor. Quod si humanita-
te benevolentiaque Veftra me subleuaritis, ita me tra-



ctabo, ut et gloriae Dei hoc in sanctissimo loco seruiam, et Bastinelli memoriae consulam, et generis eius mitigem moerorem, et saeculare gaudium, Vobis multo suauissimum, conseruem

Rapit me in admirationem felicitas erudita Bastineli, Iobelaeo die mortis absoluta beatae, Auditores. Sed erunt fortasse, qui mirentur, quid sit, quod hominibus eruditis ego felicitatem tribuam, ab eruditione penitus abhorrentem. Quod ut efficiant, cumulabunt sine mora miserias hominum literis excultorum, numero plurimorum, quae planissime doceant apertissimeque, artes, quae ad humanitatem pertineant, nos bene peritos reddere, non felices. In credendo pertinaciores nos ablegabunt ad Theophili Spizelii literatum infelicem, ex quo, quot quantisque malis exagitentur homines liberalissimis studiis affluentes, satis appareat. Nondum fidem si habuerimus, analecta Menccenii de calamitate literatorum pleno ore laudabunt, ubi Petrus Alcyonius, Ioannes Pierius Valerianus, Corneliusque Tollius, infelicitatem literatorum generatim, et Iosephus Barberius miseriam Poetarum Graecorum, in illustri posuerint monumento

Neque uero his ego rationibus de proposito dimoueor, felicitatis eruditiae praedicandae. Et enim quod hominum scientiis politorum culpa crimen admittitur, in ipsas plerumque confertur literas, secundae parentes fortunae. Quot, quaeso, literis nauant operam, qui leuitate animi temeraria inuidiam conflant omnium, cum eaque pestem ac perniciem. Quot plurima-

rimarum nari scientiarum malunt esse , quam uiri boni,
qui soli ueram capiunt felicitatem. Quot ita se libris
abdunt, ut eorum, quae didicerint, nihil possint in aspe-
ctum lucemque proferre , moribusque insolentibus su-
as ipsi res secundas impedian. Quorum angustias omni-
um nemo facile uitio uertet eruditioni , nisi qui cum
Agrippa uelit nefarie omnium uanitatem scientiarum ac-
cusare. Tum uitae felicitas bonis externis aestimanda
non est, sed sapientum iudicio germana indeoles eius
consideranda. Est enim haec calamitosa nox plerorum-
que mortaliuum menti offusa , atque ab Seneca pae-
claro de uita beata libro discussa , qua antecedenti-
um turba eos abripit, qua, ad firmam stabilemque com-
moditatem contendentes ac prosperitatem, cursum non
ad optimam uiam, sed usitatissimam dirigunt , tum se
felicissimos arbitrati, si polleant opibus, si diuitiis abun-
dent, si honoribus in coelum tollantur. At quis ,
cui sana mens est, ita se abiiciet ac prosternet , ut inter
se et quadrupedem discriminis intercedat nihil, quis lud-
ibriis fortunae, profligatissemis saepe flagitiis amicio-
ris, quam uirtutibus insignibus , confidet , quis pluri-
um, quibus raro placent meliora , ad sententiam acce-
det. Quin uera uitae felicitas ponitur in pietate, fidei
non infucatae filia, quam uirtutum chorus omnium cingit,
quam gratiae fiducia diuinae aduersus omnes ho-
minum temporumque iniurias firmat , quam recte fa-
ctorum conscientia incredibili perfundit solatio , quam
futurae spes immortalitatis tuetur. Quae uitae beatitas,
tantum abest , ut ab eruditione, hoc nomine dia-
gna , seiungatur, ut cum ea semper arctissime copu-
letur. Namque haec sua fibi ignorationis de recta ad

B

falu-



salutem uia conscientia, uerbi diuinitus prodiit ductum exploratissimum non repudiat, insanientis ritu sapientiae, sed cupidissime quaerit, inuentum ingreditur, nec defatigata prius, quam peruerterit ad metam, conficit. Quod si lumen exemplorum desideras, ad eiusdem Te Spizelii, quo superiore nos loco oppugnasti, remittam felicem literatum, ac potius felicissimum. Quid plura. Proponamus nobis ante oculos Bastinellerum, ut supremum ei honorum habeamus, eiusque in uitam pie feliciterque peractam, tanquam in speculum felicitatis eruditae, intueamur

Ac primum quidem omnium satis constat, plurimum ad hanc felicitatem momenti generis, quo nascamur, nobilitate contineri, non tam sanguinis ipsius praerogatiua quadam, in toto genere humano labe mortali contaminati, quam quod, iudice Tullio, optima hereditas a patribus traditur liberis, omniq[ue] praestantior patrimonio, gloria uirtutis rerumque gestarum, cui dedecori esse, generosa ingenia nefas iudicant et impium. Hic quam lateant acres stimuli, dies noctesque pungentes, non Romani senserunt modo, sed etiam imaginum iure exacuerunt. Id quo ualeat, nemo prudentius, nemo grauius, nemo copiosius, exposuit Polybio. Nam cauſas anquirens, quam ob rem gens Martia, Carthaginensibus rei naualis usu inferior longe, superior tamen semper discesserit, nullam reperit efficaciorum maiorum gloria, quorum uultus similitudinem, in cera summa arte impressam, quotidie cernant posteri, quos pomparum funebrium ferculis elatos, in foro ad rostra sedentes, plenos grauitate, conspicentur, quo-

quorum res gestas magnifica audiant laudatione renouari. Quo quidem spectaculo nihil censem pulchrius Megalopolitanus, nihil ad inflammandum posteritatis ardorem uehementius, ut pari concitatione mentis ad eandem uirtutem, atque adeo felicitatem, feratur. Quis est enim, quem impetus ad laudem non capiat, cum ui- rum, quos decora commendarunt aeternitati, uelut ui- uas spectat effigies ac spirantes. Tulit uero populus Romuli cumulatos expectationis suae fructus, atque in- tegras coluit gentes, in quibus nullus a uirtute felicitate que degenerauit auita. Hoc fuit in numero genus Scipionum, sermone trito prouerbio, ipsius sapientiae stirpe generatum, ut alias gentes Romanas taceam

Venio potius ad Baftinelleram, quam si fatalibus illis adiunxero, nihil assentationi tribuo. Origines repetit suas ex Heluetiis, singulari Dei prouidentia e faucibus interitus erepta. Et enim generis auctor Baftinelleri sedem rerum suarum ac fortunarum fixam Plurii, in comitatu Clauenensi habet. Animi relaxandi cauſa cum duobus filiis deambulat, tranquilla coeli serenitate ad campum remotiorem inuitatus. Interea dum morantur diutius, faxa de improviso rumpunt, auulsa de montis uertice praecipitant; uicum obrutum altissimis uoraginibus summergunt, Baftinellerus cum duobus natis euadit. Veneramini mecum, Auditores, nu- men benignissimum, quod sua coelesti ope Baftinelle- ro generi signum felicitatis sustulit tam admirabile, atque translatum in Germaniam, sobolis foecunditate propagauit, ut plures eruditioſis amplitudine mune- rumque florentissimos uiros proferret, in his Gebhar-



dum nostrum, hac inusitata gentis suae felicitate, ad gloriam eius nouis ornamentorum accessionibus illustrandam, excitum

Sed parum proficit felicitas indolis uel optimae, nisi educatione sollicita, conformatio doctrinae diligenti, ipsoque uitiae usu, limetur. Est enim feraci similis agro, qui, spinis obsitus, nullas fruges largitur, mature cultus, spem superat. Gemmae respondet rudi, nullum splendorem spargenti, nisi manus artificis accedit. Quo magis detestanda plurimorum negligentia parentum uidetur, quam Crates quondam tulit aegerrime, ex altissimo loco suis acclamaturus ciuibus, quo ruitis, mortales, qui magno studio incumbitis ad opes possidentas, sed eorum, quibus relinquatis, uel nullam curam fuscipitis, uel exiguum. Alii magnitudinem liberalis disciplinae non ignorant, sed in modo prolis educandae saepe multumque peccant. Latius patet hic locus, quam ut eum percensere copiosius possim. Temperare tamen mihi non possum, quin unum attingam, e quo felicitas ingenui cultus Bastinelli clarissime elucet. Plerique, quos generis dignitas altius uechit, praeferunt si rem habent, tum nihil ad ingenii culturam liberis suis defuturum confidunt, cum ad exterros, quam primum, proficiscantur, atque peregrinatione erudita, quae percepint domi, foris in succum uertant sanguinemque. Neque uero is sum, qui recte sapienterque factorum opportunitates itinerum uarias in dubium incertumque reuocem, a Baudelotio docte eleganterque enumeratas. Nihil dicam de prudentia peregrinandi, quam ciuili iudicio Conringius informauit, quaeque, quod salubre sit ac frugiferum, sedulae apis instar,



star, undique colligit, sed foedum inceptu, foedum exitu, uitat. Nihil commemorabo eruditio[n]is omnis incrementa, more ueterum philosophorum, terris com-pluribus adeundis, amplificanda. Nihil afferam de morum humanitate, aliarum institutis gentium mollienda, p[re]conceptis depositis opinionibus, quas nimius amor patriae instillarat. At peregrinatorum pauci his perfrun-tuntur utilitatibus, animumque alienum ab religionis ca-stitate, ab sagaci rei publicae constitutione, ab simplici uitiae integritate, referunt, opibus exhausti, maleficiorumque saucii uulneribus. Tantis adductus detrimen-tis, Gottlibius Samuel Treuerus auctor est, ut licentia peregrinandi legibus circumscribatur, et dirigatur in utilitatem summorum imperantium, et rei publicae. Addit p[re]cepta illustrium uirum, iuentuti alio commeanti tenenda, in quibus, nescio, quid sapientius, quid fructuofius, moneri possit, institutione paterna, supremaque uoluntate Martini Geieri, qua suum format filium, eumque unicum, Ioannem Christianum. Hic bene p[re]cipitur, ei, qui cum fructu cursum peregrinationemque moliatur, principio firma iacienda rerum fundamenta diuinarum, tum limandum ingenium iudiciumque politioris ratione humanitatis, deinde notitiam rerum publicarum, incorruptis rerum gestarum monumentis fultam, comparandam, postremo scopum figendum, quo omnis itineris ratio collineet

Quanta gaudet felicitate Bastinellerus, quem pa-rentes, recordatione nostra dignissimi, regula tam praestabili, eduxerunt, Andreas Bastinellerus, et Bar-bar[a] Dorothea Freysteinia. Quam religiosa pietate

C

men-



mentem eius consecrarent, uita loquitur omnis, atque insigniter oratio declarat, in hac ipsa aede anno professionis Augustanae saeculari habita. Quam assiduam literis elegantioribus dederit operam, Panegyricus prodit, in sacrum Regis nostri potentissimi connubiale, carmine Germanico ualde uenusto, publico nomine recitatus. Sed totum in se conuertit iuris prudentia, non quaestuosa ista, sed sublimior, quae iuris fontes omnis adit, atque interiores eius recessus in Academiis transdit. Quo in consilio defixus unice, Iuris consultorum scholas non interuisit, sed continentibus studiis frequentat, ac Strykium praefertim, iuris interpretem solertia sum, audit. Sic praeparatus, finisque fibi praefixi memor, non tam Galliam, Italiam, aliasque regiones petit, quam celeberrima patriae nostrae loca, cum primis Vindobonam, Ratisbonam, Wetzlariam, ut, quem ad modum ipse in uitiae suae decursu prae se fert, Germaniae rationes pernoscat, et summorum imperii tribunalia contemplatione, maiora faciat spatia in consuetudine iudiciorum. Domum, a qua nouem menses aferat, reuertens, fert laborum pretium, priuatim initio docet alios, cauillas in uariis agit foris, ac, Strykio duce, summos ordinis sui capeſſens honores, felicitate crescit. Neque enim scholas modo publicas aperit priuatasque, sed etiam scriptis nominis sui famam latius diſeminat. Qua permotus Rex immortalis memoriae, Augustus II, euocat eum in hoc omnis doctrinae domicilium, ubi per gradus Ordinis sui escendit in summum, ac rei publicae nostrae literatae clauum feliciter aliquoties tenet. Nostis, Auditores, eius in nos merita, nostis patientiam laboris, nostis facilitatem morum,

rum , nostis probitatem animi , qua profuit omnibus , offuit nemini . Scientiam uero iuris subtilem , neruosamque loquendi breuitatem , ab omnibus statim agnitam uehementerque comprobatam , qua Bastinellerus efflorescit , nunquam cogito , qui mihi ueniat in mentem illa Ciceronis comparatio , Seruum cum Scaeula contendentis . Scaeulae quidem magnum iuris ciuilis usum largitur , sed artem Seruio , res latentes explicandi , cauſtas obscuras interpretandi , ambigua primum uidendi , deinde distinguendi , postremo certam legum regulam habendi , qua iusta iniusta iudicentur , adiuncto dicendi genere accurato , quod ex scriptis eius , quorum similia nulla fint , facillime perspicci possit . Tot adiutus praefidiis , par fuit negotiis , adeo uariis arduisque , eorum copia ut possit industria fatigari , uel exercitatissima

Has ipsas molestissimi curas muneric summopere leuauit concors matrimonium ac foecundum , magna pars felicitatis eruditae . Pleni sunt eruditorum hominum libri praedicationibus eius , certatim profusis , quibus nihil homini literis dedito ducunt exoptatus , coniuge amante , rei prouida familiaris , studiosa liberum educatrice , ad Corneliae similitudinem , quae natos suos in maximis numerauit ornamentis , summo eos amore complexa . Qui si fuerint superstites , si nepotibus patris charitatem dupicarint , si in magno honoris gradu rem publicam adiuuerint , Solone iudice , patrem felicem beatumque efficiunt . His de cauſis enim Solon apud Herodotum non Croeso dat felicitatis principatum , eius diuinarum splendore contempto ,



fed Tello Atheniensi , propter liberum nepotumque honestatem ac uirtutes, atque extentum uitae spatium. Nihil praeter ea ad felicis coniugii mensuram postulant gentes, a ueri Dei cultu seiuinctae. Tabulae uero diuino afflatu exaratae numinis metum in coniuge, eiusque subole, aliaque praeponunt decora, quae ab Salomone literis mandata, Formeyus exornat egregie in Philosopho Christiano

Habes eorum complexum in matrona primaria, Bastinelli coniuge, ab eo nunquam, nisi morte sua, conturbata, Gottlobii Friderici Nesteri unica filia. Cuius nisi parcerem modestiae, facultas mihi daretur, eius honorificentissime collaudandae. Eam tamen uirtutem tacitus praeterire nullo modo possum, quam Sanctior Spiritus grauiter imperat, qua illa uult in primis censeri, qua liberos ab ineunte aetate assuefactos, magnopere laetatur, summam in Deum pietatem. Atque huic acceptam refert ipsa connubii sui felicitatem, in quo cum marito coniunctissime uixit. Huic debet Filiorum trium gaudium, quorum duo sapientissimo Borussorum Regis iudicio probati, ad insignes iam sunt honores prouecti, tertius, paterno funeri multis cum lacrymis iusta soluens, portum proxime prospicit. Huic attribuit Filiae spectatissimae fortunam, qua, propter strenuam matris aemulationem, eam in sinu fert oculisque Maritus amplissimus, Soceri desideratissimi casum nobis cum grauissime complorans. Huic postremo adiudicat incrementum domus suae pulcherrimum in nepotibus amoenis, quorum conspectus tam ipfi, quam marito, animum saepe multumque permulxit. Quid
ad



ad hanc felicitatem coniugialem , tam suauem , quam
stabilem , potuit addi , Auditores . Nihil , nisi Iobelaeus
mortis beatae dies , ante quem beatus nemo

Dices fortasse , quid , num tu mortem Iobelaeum
uocabis diem , quae tristitiae plus affert , quam gaudii.
Est enim funebre peccati auctoramentum , quod animi
coniunctionem corporisque dirimit , nosque de comple-
xu nostrorum abstractos , omnibus fortunis euertit . Longe
tristiorum dissolutionis naturae imaginem compre-
hendit animo nobilis ille clarusque Iurisconsultus , Fran-
ciscus Hotomannus . Ad hunc , aqua intercute con-
flictantem , Scipio Gentilis , praeter caeteros apud eum
gratiosus , accedit , ut aegrum non uisat modo , sed
etiam , salute iam desperata , confoletur . Salutat eum ,
more suo excellentiae honore affectum , quem ipsi
multa merita magnaue conciliarant . At Hoto-
mannus indignabundus , quid tu uero , mi Scipio , in-
quit , excellentiam meam dicis , dic meum nau-
fragium , meam miseriam , meam interencionem , mo-
rior nunc ego , et omnia mea mecum , quae impru-
denta uiuo eripuit . Quis adeo funestam rerum com-
mutationem cum Iobelaco tempore comparabit , nisi
forte uelit ipsi repugnare naturae , hanc fatalem horam
grauiissime reformidanti . Evidem largior , mortis , per
se spectatae , formam et quasi faciem horrore mortales
perfundere , quorum corpus elegantissime coagmenta-
tum , in cinerem pulueremque redactum , dissoluit . Cre-
scit cum pudore metus , ubi cauſſas eius ultimas repeti-
mus , quas cum nesciat ratio , parum abeft , quin eo pro-
rumpat audacia , ut Deum ipsum , temere postulatum ,
rehendat . Quod si labes conscientiae , superiorem
uitae conditionem non sine cauſa accusantis , opprefſe-
rint animum , querelas magis cum Hotomanno fundes ,

D

quam



quam in sinu gaudebis gloriose. At nos beatum e uita,
pie peracta, discessum nobis ante oculos proponimus,
eiusque non tam externam speciem , quae perterrere
nos aliquantum possit , consideramus, quam fructus in-
gentes praeclarosque percensemus , quorum multitudi-
ne acerbitates omnes leniuntur. Hac mente diem su-
premium Iobelaeum nominamus , maxima ducti utrius-
que conuenientia , si legibus , diuinitus promulgatis ,
iudicetur. Quarum sapientia , nunquam satis inuesti-
ganda , sicut rei publicae consulit , ita doctrinas altiores
memoriae prodit , hisce umbris inuolutas. Videt eas
Fridericus Spanhemius , scitaque breuitate complexus ,
hereditatis sempiternae simulacrum , atque ingressus in
gaudia coelestia , non obscure in illis reperit , cuius senten-
tiae , multis confirmatae rationibus , assentiri , me nunquam
poenitebit. Iobelaeus quondam fuit tempus quietis ,
laetitiae , libertatis. Supremo die pariter a laboribus
requiescimus , gaudii coelestis copiis circunfluiimus , ac
per omnem uitam mortis metu serui , plene manumit-
timur. Iobelaeus reduxit homines ad pristinas pos-
sessiones , uariis amissas modis. Supremo die redimus
in Paradisum , ex quo nostra nos in Deum perfidia eiecit. Iobelaeus discrimen dominorum fustulit et
seruorum , eosdemque redegit ad ultimam aequalitatem .
Supremo nos die in coelitum peruenimus confilium ,
in eoque Deum , cui soli subiicimur , communis aeuus semi-
piterni usura , cernimus. Iobelaeus debitoribus debita
remisit , cum eisque solutionis praestandae angorem.
Supremo nos die , uacuitate peccati omnibus numeris
absoluta , a corpore mortali diuellimur

O felicem igitur Bastinellerum die mortis suae Iobe-
laeo , tam placidae , tam mollis , ut non e uita , sed e do-
mo in domum uideatur demigrare. Id quam fit expe-
tendum

tendum idem , quem supra testem citaui , Solon Croeso significat , secundas felicitatis partes Cleobi concedens ac Bitoni , quod , matris in templum deductae uoto , celerem uiuendi finem habuerint . Cicero uero , senectutem ab iniquis defendens criminacionibus , duo felicitatis eruditae genera commemorat in primis , unum , si maneat ingenia senibus , ne cogantur in studiis obmutescere , alterum , si quiete , et pure , et eleganter , actae aetatis placidam ac lenem senectutem facili finiant exitu . Afferit ideo iuris consultos , pontifices , augures , philosophos , senes , quibus tam secundus uitae cursus contigerit . Praecipue tamen Platonis sui prosperitate mouetur insigni , cuius aetas extrema non modo languida non fuerit , uerum etiam operosa , aliquid semper agens et moliens , cuius mors erudita uitae aequalis . Namque uno et octogesimo anno scribens mortuus , Ciceroni postremum uidetur actum splendidissima felicitate pulcherrimaque transegisse Quid alii senserint quamplurimi , nihil opus est enumerare , quod eorum testimonia hac de Euthanasia in bono lumine collocavit Bergerus , eheu , quondam nostras , exitum Abichtii similem adeo dulci illustrans oratione , ut , quoties eam lego , magno flagrem desiderio , aequalis felicitatis impetranda . Hanc uero Bastinellerus iam fortitus est , eodem die efflans animam , quo , uiribus animi corporisque uegetis , pro fausta fascium permutatione academicorum uota hic nobiscum nuncupat , quo Generum suauissimum , dilectissimam Filiam , spem gentis tenerimam , aduentantes postremum osculatur , quo inter prandendum sermones miscet blandos , nihil sentiens cruciamentorum , quae mortis imaginem terroribus complent , diu ante fatis praemunitus , quod semel iterumque impetum eius sustinuerat , eoque com-



monefactus, domum suam constituerat. En haec illa
est imago felicitatis eruditae, Iobelaeo mortis beatae
die, consummatae, Baftinelleri uita obituque expressa,
Auditores

Qua propter Tibi, immortalis Deus, nostrae auctor
uitae, mortisque moderator sapientissime, deuotissimas
habemus, et agimus gratias, quod in Baftinellerum plu-
rima contulisti maximaque beneficia, quibus eius est
uita omnis referta. Tua prouidentia plane singularis
eum produxit in lucem, e gente ruinae proxima, sed
Tuo praepotenti auxilio seruata. Tua prouidentia eius
iuuentutem, ab innumerabilibus hominum confeler-
tissimorum illecebris defensam, in doctrinae officio vir-
tutisque retinuit. Tua prouidentia ad summos eum
honores extulit, meritisque cumulauit, nulla unquam
obliuione delendis. Tua prouidentia uitae sociam ei
adiunxit, gratia Tua, illis ornatam dotibus, quibus do-
mestica felicitas haud minimum augetur. Tua proui-
dentia id, quod homini maxime est optandum, ei in-
dulxit, uitaeque finem ac terminum constituit ita, ut, si-
ne morbi longioris difficultate, sine doloribus corporis
debilitati ac fracti, euolaret in coelum. Hic tu eum per-
funde coelestibus deliciis, quas ab aeterno piis destina-
tas, in omnem cumulas aeternitatem, corporique ex-
animato terram para leuem, dum nouissimum clango-
rem tubarum Iobelaei sempiterni exaudiat

Tibi uero, Baftinellere felicissime, gratulamur expe-
ditum in coelum iter, ubi conspectu Dei beatissimi iu-
cundissimo, quem mortalis oculi imbecillitas non capit,
solatio complebris insatiabili, ubi Adolphum tuum, leua-
mento senectutis tuae immatura praereptum morte,
summo

summo nunc restitutum splendore, maxima iucunditate, recipis, ubi Tuorum omnium societate, sine ullo disiunctionis metu, recrearis. Tibi iam data est summa pax, summa tranquillitas, nos laboriosae uitiae sollicitudines urgent, ac saepe respirare non sinunt. Tu in coelitum confocationem receptus, laudes Dei infinitas canis, nos iubila querelis miscemus. Tibi debita sunt omnia condonata, nos fragilitatis nostrae conscientia quotidiani cogit precibus ueniam exorare. Tu patriae es uerae nunc redditus, in quam nos, turbida huius uitiae peregrinatione confecti, properamus. Macte hac felicitate Tua. Sed o nos infelices ac miseros, qui, quid quantumque detrimenti e funere Tuo capiamus, sentimus magis, quam uerbis affequi numerando possumus, necessitudine Tecum amicitiaque coniuncti. Profundit Coniux amantissima Tui lacrimas plurimas, quod Maritum, quo ornatiorem, quo meliorem, quo humaniore optare fibi non potuit, amisit. Squalent Liberi, quod tam beneficum, tam indulgentem, tam salutis suae cupidum, patrem desiderant, in medio spei cursu. Video generum Socerii casum deflentem, cuius consiliis saluberrimis, et consuetudine fuit dulcissima saepe numero delectatus. Audio lugubres lamentationes, fletibus interruptas moerentibus, caeterorum cognatorum amicorumque, quibus Bastinelli amor, fides, constantia, trepidis fuit temporibus spectata. Socius doloris ac particeps Iurisconsultorum Ordo lamentatur, duce suo priuatus, cuius prudentiae officiorumque memoria nunquam intermorietur. Haec ipsa denique Musarum sedes praecipuum quoddam decus ablatum fibi gemit, totumque eruditum orbem in luctus communitatem trahit

E

Cui



Cui aegritudini tam iustae, quam communi, quamuis possem fomenta solatiaque ex ipsa Bastinelli feliicitate afferre, cui uidentur inuidere, qui nihil profuturis querimoniis non temperant, Deum tamen comprecabor potius, ut uulnus, ab se acceptum, obliget, ac sanet. Excitet perculsam damno suo Familiam nobilissimam, ut, animis collectis, in pronoea Dei acquiescat, tam iniurioso comprobata specimine, ut parentis sui faustis precationibus fulciatur, ut rerum secundiorum commutatione reficiatur, atque ornetur. Sufficiat in Bastinelli locum, profecto grauissimum, uirum, qui doctrinae copia, excellentia uirtutum, tot tamque continentium perseverantia laborum, iacturam, quam fecimus, compenset, propositis sibi non solum ad intuendum, sed etiam ad imitandum, hominum fama perpetua celebratissimorum, Ziegleri, Bergeri, Wernheri, Leyseri, aliorum complurimum, imaginibus

Postremo Vobis, Auditores, Viduae tristissimae, ac totius Gentis Bastinellerae nomine, grati animi deuinicio memoriam, quod Vestra praefentia honorificentissima, Viri beatissimi gloriae, pietatique domesticae, tam praeclarum uoluisti testimonium dare. Quod beneficium insigne sicut moerorem eius non mediocriter imminutum leuauit, ita mecum uotis precationibusque contendit, ut, Deus benignissimus, sol iustitiae, cuius lumen clarissimum nos collustrauit nuper, fortunam Vestram manentem, totamque Academiam, semper in tuto collocatam, piaest quan florentissimam. Ita, Bastinellere Desideratissime, uale. Nos te eo, quo Deus quemque iusserrit, ordine cuncti sequemur



Trauer-CANTATA

welche bey der
auf die Einsenckung
Des weyland

M A G N I F I C I

Hochedelgebohrnen, Best und Hochgelahrten Herrn,

S E R R S

Sebhard Christian Bastinellers,

Weitberühmten JCTI,

Ihro Königl. Majestät in Pohlen, und Thursfürstl.
Durchl. zu Sachsen ic. ic. Hochbestallten Hof- und Justitien-Raths,
des Geistlichen Consistorii althier Hochverordneten Directoris, Decretalium
Professoris Publici, und der Juristen-Facultät Hochansehenlichen Ordinarii
auf hiesiger Universität, auch des Hof-Gerichts ersten Assessoris auf der
gelehrten Banck, und des Schöppen-Stuhls Senioris

am 22^{ten} October 1755

in der hiesigen Academischen Stifts-Kirche

gehaltenen

ORATION, musicalisch aufgeführt worden.

F

6.



C A N T A T A

T V T T I.

Her Gerechte ist auch in seinem Tode
getrost.

A R I A.

Ach! lehre mich, mein Gott,
Die Kunst getrost zu sterben.

Und vereinst Friedens-voll die Augen zuzuthun,
Laß mir dein theures Blut die blassen Lippen färben,
Und laß in deinem Schoß mein sterbend Herz ruhn.

RECITAT.

Das Sterben ist kein Rosenbrechen,
Doch, wer an Jesu Schmerzen denkt,
Und sich in seine Wunden sinkt,
Kan alle Dornen brechen,
Die sonst der Tod ins Herz drückt.
Ein Blick nach Jesu Kreuz erquickt,
Daf wir, als Helden, stehen:
Und wann durch Gottes Macht,
Der legit Kampf vollbracht,
Im Sterben nauf zum Erbe gehn.

A R I A.

Nächt! Christus ist mein Leben,
Und Sterben mein Gewinn.

Laß Tod und Hölle beb'en,
Mir bleibt ein froher Sinn,
Nimm, Erde, deine Glieder,
Nimm deinen Staub nur wieder,
Ich geb es willig hin.

C H O R A L

Christus, der ist mein Leben,
Sterben ist mein Gewinn,
Dem thu ich mich ergeben,
Mit Freuden fah' ich dahin.

CANTATA nach der ORATION.

ARIA.

Sreis und Schmuck der Zions Alten,
Wohlverdienter Ehren-Ruhm,
Bleibt dein ewigs Eigenthum,
Das wir werth und heilig halten.
Preis und Schmuck der Zions Alten,
Wohlverdienter Ehren-Ruhm,
Bleibt dein ewigs Eigenthum,
Das wir werth und heilig halten.

RECITAT.

So lange noch die Musen-Schaar,
Aus dieses Elb-Grohns Hippocrate trinket,
Ta! bis der Bau der Welt
Einst in sein erstes Nichts versinket,
Soll uns dein angefangnes Hall- und Jubel-Jahr,
Zu einer ewigen Gedächtniss-Feyer bleiben.
Wir wollen der Verdienste große Zahl,
Nicht in zerfließend Thränen-Salz,
Auf diesem Trauer-Saal,
Wohl aber in die Herzen schreiben.
Als in feinen Marmor, schreiben.
Eusebie wird denen Zions-Helden,
Auch in dem späten Alter
Noch vermelden,
Wie wohl es dir, du eifrender Justin, althier
Auf diesem Areal gelungen.
Schrift, Schrift, war dein Pannier,
Die hat den Feind bezwungen.

ARIOSSO.

Go giebt Gott Sieg,
Nach wohlgeföhrtm Krieg.
So wusstest du, durch Ringen und durch Kämpfen,
Den frechen Schwarm zu dämpfen.

RECITAT.

Ihr aber, di ihr **BASTINELLERS** hohe Lehren,
Wie Israel, das Manns aufgefaßt,
Läßt ab, durch Klage, Lieder,
Den in seiner Ruh zu stören,
Den Grusse und Grab,
So mancher schweren Centner Sorgen-Last,



Und Kreuzes Hize, durch die kühlen Bogen,
Nach eignem Wunsch, entzogen.
Und den des Allerhöchsten Geist,
Nach erst vorher gegangnem Sturm und Brausen,
In einem stillen sanften Sausen,
Wie den Thäbit, zu Salems Geistern reist,
Wo Gottes Füllhorn selbst die Seele,
Aus Goos Wunden-Höhle,
Wie Israel, mit Honig aus den Gessen speist.

D V E T T O.

Schlafst, ihr redlichen Gebeine,
Bis euch Gott zum Leben ruft.
Aber tragt die Sorgen-Steine,
Hoch betrübt, mit zur Gruft.
Wälst sie, wenn sie heftig drücken,
Bey der Kummer-vollen Nacht,
Auf des Heylands starken Rücken,
Der bey **VASTINELLER** wacht.

D. C.

RECITAT.

Laft: theurestes Gemahl und Kinder,
Künftig Harm und Gram nicht Uebewinder werden.
Gott zeigt EUCH, auf dem Nebo dieser Erden,
Wie Mos, Canaan, wo Milch und Honig rinnt.
Nur höret, wie der Mund, aus der gewehten Gruft,
Noch diese Trostes-vollen Worte ruft:

A R I O S O.

Sein Heyland löste mich zu ers,
Mit Von Band und Ketten,
Und der wird EUCH,
Bis zu dem Licht gestirnten Reich
Auch heben, tragen, und erretten.

C H O R A L.

Komm, o Christe! komm, uns auszuspannen,
Löß uns auf, und führe uns bald von dannen,
Bey dir, o Sonne!
Iß der Frommen Seelen Freud und Bonne.



RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
GEORGIVS
R V DOLPHVS
BOEHMER
PHILOSOPHIAE ET MEDICIN. DOCTOR
ANATOMIAE ET BOTANICES PROF.
PVBL. ORDINARIVS
CIVIBVS ACADEMICIS

S. D. P

6.



Georgius
Dudal
Benedictus
Giovanni

Quantum iis in rebus, quibus maxime reipublicae salus continetur, ars boni et aequi valeat, ii deum recte intelligent, qui regna et ciuitates bonis legibus nihilominus, quam armis, stare ex historiae monumentis cognouerint. Quoties enim hosti arma vim propulsandi fortunasque ciuium defendendi caussa opponuntur; quisque videt, hactenus publicae securitati consuli, ne in corpora, bona, opes, suita violentia incurrat: at leges enim vero vbi armantur, bonorum ad praefidium terroremque malorum, longe atrocior pestis opprimitur, validiores machinae distractabantur, grauiora discrimina vitantur, instructiores infidiae atque laquei declinantur. Ita quantum bonis ducibus propter victories praeclaras manuque defensam rempublicam tribuitur; tantum sacerdotibus iustitiae laudis et praemii merito decernitur ob ciues seruatos, contra maleficiorum, scelerum, improbitatis, calliditatis, licentiam, vel vires.

Quis hinc non animo concipiatur, quem nunc in luctum non Academia solum haec, sed tot illustria quoque collegia, tot fora, tot iustitiae et legum domicilia per vniuersam, qua patet, Germaniam sint coniecta, quum fonus ducendum sit magno huius artis antistiti, quam in regenda et salute et utilitate publica diximus principem. Ereptus est nobis per hos dies morte, ut non immatura naturae, ita nimium desideriis omnium bonorum acerba, GEBHARDVS CHRISTIANVS BASTINELLER, vir, quamdiu superfuit splendore natalium ac fortunae, amplitudine munerum, et meritorum fama illustris, magnoque, quo inclarerat, nomine commemorandus in primis, narrandusque posteris, et in his numerandus, quorum ut negata fit praesentia, durent ac plura saecula complectantur benefacta. Erat is ordinis sui, quin collegiorum singulorum, quibus redendi iuris apud nos imposita est cura, praezes; erat



moderator et exactor omnium, quibus iustitiae rationes constant: erat his praeful datus, quorum effatis fortunae hominum pendent; erat commune oraculum, a quo peterentur sortes, quoties caput, fortuna, existimatio non ciuium modo, sed exterorum etiam quorumuis in discrimen vocarentur; erat, cuius auctoritas aliis adspectanda esset, quibus idem munieris committeretur; erat, qui a serenissimo Principe in consilium adhiberi, et ad defendenda iura patriae atque domus augustae requiri posset, erat is, quem soli ignorent, qui nesciant, quantum huic vii impostum fuerit. Vbi erit, qui de iacturae, quam fecimus, magnitudine dubitandum putet? quid academia hac in posterum de suis rebus speret, quae tantum eius humeris ex sua salute, vt quem in suo ordine loci antiquioris ius ad hanc necessitatem arctaret, incubuisse senserit? quid tot, qui suis rebus metuunt, et in periculis capit, opum, existimationisque versantur, atque squalorem prorsus miseriasque perlatu grauissimas experiuntur, fiduciae et consolationis reliquum habebunt? Vbi ara illa iustitiae, ad quam tutus fit, qui puras saltem manus attulerit? Ah! si quem plangere fas certe vñquam fuit, hunc plangamus, a quo tot et tanta rebus communibus praestanda fuerant!

Sed nostras iam spes destituit, cuius enarrare vitam longe maioris operae foret, quam, quae his includi spatii, et hac angustia temporis impendi, posset. Patrem eius ANDREAM BASTINELLERVM, augustissimo Prussiae regi a bellicis consilio in primis fidum, et Halae Saxonum splendidissimis ministeriis praeditum, quis ignorat? Quod natalibus eius dignum fuit, in primae adolescentiae annis praefstit, vt futuri incrementi, quod exspectari pro fortuna cuiusque solet, magna documenta daret. In academiis tempus consumit, vt A. P. C. N. cīo iō cc vii, panegyricum diceret Friderico
Guil-



Guilhelmo, Principi tunc iuuentutis, Prussiae hinc regi, et parentum vota, quantum in ipso fuit, impleret. Quod autem generosi animi esse solet, vt coelum mutare gestiat, et diuersarum terrarum bona nosse cupitat, A.P.C. N. c1515 cc vii. instituit, vt peragrata Germania, non prius conquiesceret, quam, donec A. P. C. N. c1515 cc x signo quasi ad melioris fortunae auspicia sublato, comes legeretur et itinerum socius a nobilibus adolescentibus Cislebio et Legato. His curis defunctus, in quibus molestiae plus, quam emolumenti, nisi futura magis, quam praelentia, respiciantur, tandem animum ad publica commoda conuertit, atque Maresburgi Zechio, L. B. Principis a sanctioribus confiliis, et episcopalis eparchiae supremo praefecto, operam approbavit, et notarii functus officio, iurisdictioni etiam plurium villarum praefuit, atque munus publicum cum laude gessit. Inde honoribus academicis Halae Sax. A.P. C. N. c1515 cc xi. potitus, post triennium Vitebergae nostrae ordinarii professoris locum obtinuit, et pluribus documentis suae diligentiae fidem fecit, donec per gradus eo enteretur, vt A. P. C. N. c1515 cc lii. Leyfero, magno huius academiae lumini, successor datus, omnibus, quae hic florent, collegii, in quibus ius dicitur, praefecset. Quantum in hac litterarum exercitatione operae pretium fecerit, non melius arbitrre posse intelligi, quam ex Sigismundi, magni imperatoris, iudicio. Habet ille circa se inter paucos carum, et multarum rerum experimentis spectatum, Georgium Fiscellinum; cui ob merita nobilium iura et dignitatem concessit. Is vero, vbi primum in concilium vocatus adfuit, de loco, quem inter adsesores caperet, dubitans, ad equitum demum subsellia, nonnihil haesitans tamen, et sui consilii rationes, vt videbatur, ipse inquirens, transiit. Quod cum imperator animaduertisset, ridendo subiecit, cur huic, quem litterae habent, praeferret honorem, qui nobilitati attributus fit; cum ipse ex hominibus indoctis quoquis die sexcentos possit creare nobiles,



biles, sed ex omnibus istis ne vnum quidem doctorem.
Hoc pretium, quo honesta studia et reipublicae utilitati adcommodata censentur, aestimauit, si quisquam, et aliis rebus praetulit, noster; cuius eruditionis monumenta dudum versantur omnium manibus, neque hic sunt commémoranda, quum et famae habeant, quantum merentur, et gratiae, quantum inter peritos ex vsu rerum et saeculi moribus eductos colligere possunt.

Neque tamen in umbra, quod studia amaret, consenuit, aut scientiae nescio cuius otiosae magister a rebus gerendis abhorruit; sed, quod Euphrates consolando Plinio iuniori suggererat, ipse quoque vltro statuit, esse hanc philosophiae, et quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, iudicare, promere et exercere iustitiam, quaeque doceant alii, in vsu habere. Incredibile dictu est, quantum sollertia sua et assiduitate inter eos, qui de iure respondent, eminuerit, quam famam sibi comparauerit, et quam nominis celebritatem iis etiam in locis consecutus fit, vbi ad praestantissimas artes atque legum praeſidia neque ingenia praeclara, neque hominum studia, neque principum gratia deficit. Longum foret enarrare, quantum auctoritate eius commoueri vidisse passim iuris peritos iudicesque, aut quoties de iure sic responderit, vt acutissimorum satisfaceret iudicio, exſpectationem superaret. Sunt in manibus hominum, exemplique et doctrinae cauſa feruantur, quibus aenigmata legum nodosque litium soluit, et causarum ambigua vel implicita certi atque constituti iuris ad praeſcriptum euoluit, lumenque praetulit his, et qui porro iudicaturi erant, et qui ipsi de suis, quae agerentur, rebus folliciti, viam quaerebant.

Nec erant obscura, quae sic, vni officio intentus, quotidie gerebat. Erat in hac Academia locato magna
et



et benigna ex erudienda iuuentute florentissima mat-
ries; multum in dies laudis hinc ferebat; multum gratiae
colligebat. Maior tamen claritas eum circumfunde-
bat, quoties illustribus in collegiis sic ornaret, quem
occupasset, locum, vt coniectura et opinione omnium
dudum huic destinaretur, qui, cum esset primus, non
alii deberi sit visus.

Magnis laudibus Hadrianum quondam veteres ex-
tulerunt, quod in consilio habuerit non amicos solum
suos aut comites, sed iuris consultos etiam, quos ta-
men senatus maxime probasset. De Alexandro Seue-
ro sic optimus quisque statuerat, nihil male consuli,
imperante illo, potuisse propterea, quod usus perpe-
tuo consiliariis sit viris clarissimis, et quorum maior
pars peritia legum censematur. Rex longe potentissi-
mus FRIDERICVS AVGVSTVS, optimus prin-
ceps atque pater patriae indulgentissimus, pro eo, ac
sui populi amore clementia, maiestatemque sapientia,
misericordia, nec in antiquitate exemplum, neque nostra in
memoria aemulum, neque inter posteros imitatorem in-
uenerit, quantum ad haec pertinet, in quibus publica
utilitas vertitur. Huius autem iudicio quum BA-
STINELLER, vetus academiae huius lumen atque
ornamentum, admotus officio fuerit, cuius partes ad
republicam vniuersae sic referuntur, vt et dignitate,
et grauitate curarum, et sanctitate munerum excellat,
quicunque ad id electus fuerit; quis hic laudes tanti
viri, aut meritorum commemorationem, aut actorum
enumerationem exspectauerit? Laudatore opus foret,
quem nec ingenii felicitas, neque otii copia, neque lit-
terarum scientia multarum, nec orandi etiam facultas
destitueret, aut cui temporis certe satis ad meditanda
magnarum rerum et spectatae virtutis praeconia con-
cederetur.

Solae



Solae scilicet pietatis supersunt partes, vt digna aestimatione iacturam pendamus, quam academia et patria fecit, quum BASTINELLVM efferimus, cuius memoria vt omnibus bonis, et amantibus litterarum, et reipublicae cupientibus, sancta et honorata erit, ita, qui eius tumulo praestandus est, cultus de studiis certe nostris et voluntate testetur. Vita eius libris narranda potius, quam exiguis chartis concludenda, non metuit hanc, quibus corpus obnoxium fuit, humanae fragilitatis sortem. Affiduitate studiorum et laborum diuerat, quod valetudini nocuerat. Recuperatis aliquantum viribus, solitis muneribus, quae ne infirmus quidem intermisferat vñquam, sic se reddiderat, idque aetate vergente, vt cum vegetis atque integris, auctiora sibi in dies pensa indicens, certaret, neque, quod publicae utilitati in hunc modum tribueret, decidere curando corpori existimaret. Morti, cui aliquoties iam antea proximus fuerat, occurrit constans et intrepidus, tanquam qui in eo quoque officii meminisset, vt Christo liberatori ad meliorem vitam euocanti sine cunctatione pareret. Scilicet quum hic viuendum duxisset, vt et in religione colenda, et munere implendo, sine intermissione laboraret, non prius laboris finem respiendum putauit, quam inter coelites viuere iuberetur. Quantum ergo omnis diuini humanique iuris antistiti, quandiu superfuit, meritissimo res publica et nostra haec academia debet, tantum sit nobis curae persolendum ipsi honos supremus, vt funus eius in templum arcis cras hor. pom. III. ducendum frequentes prosequamini, atque ita studia Vestra declareris, vt et humilitate, qua etsi praediti, dignum, et huic academie gloriosum, et reverentiae erga domum clarissimam conueniens erit. P. P. Viteb. a. d. XII. Cal. Nov.

A. P. C. N. CIO IO CC LV.

VITEMBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS



Za. 1468. 20

VD18

ULB Halle
002 410 192

3



Sb.

n. v





ORATIO FVNEBRIS
IN
EXEQVIIS SOLEMNIBVS
VIRI SVMMI AC IVRISCONSVLTI
ILLVSTRIS
GEBHARDI
CHRISTIANI
BASTINELLERI D
SAC. REG. MAI. POLON. AC PRINC. ELECT
SAXON. A CONSILIIS AVLAE CONSIST
ECCLES. DIRECTORIS CVRIAEC PROVINC
ET SCABINATVS ASSESSORIS DECRET. PROFESS
PRIMARII ATQVE ORD. IVRIDICI ORDINARI
ET SENIORIS
IN AEDE ACADEMICA

A. R. G. CIO IO CC LV

XI. KAL. NOVEMBER

HABITA

AB

RIDERICO HILLERO

PVBL. ET SCHOL. RECT

VITEMBERGAE

CHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS

